Bawl. 8vo 69

BELLUM PAPALE,

SIVE,

CONCORDIA DISCORS

SIXTI QUINTI,

ET

CLEMENTIS OCTAVI,

CIRCA

Hieronymianam Editionem.

Præterea, In quibuſdam locis gravioribus habetur comparatio utriuſque editionis, cum poſtrema & ultima *Lovanienſium*; ubi mirifica induſtria *Clementis*, & Cardinalium ſuper caſtigatione Bibliorum deputatorum, notas duntaxat marginales *Lovanienſium* in textum aſſumendo, clarè demonſtratur.

Auctore THOMA JAMES, *Novi Collegii* in alma Academia *Oxonienſi* ſocio, & utriuſque Academiæ in Artibus Magiſtro.

Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua. Iſa. 1. v. 22.
Auſer rubiginem de argento, & exibit vas puriſſimum. Prov. 25. v. 4.

LONDINI,

Impenſis *Joh. Dunmore*, ad inſigne trium *Bibliorum* in Vico dicto *Ludgate-ſtreet*.

M DC LXX VIII.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

REVERENDISSIMO

In Deo Patri

Joanni Archiepiſcopo Cantuarienſi,

Et totius *Angliæ* Primati,

Thomas James proſperam ſalutem in hoc ſeculo, & fœlicitatem perpetuam in futuro, humillimè precatur.

JAm tandem, Archi-præſul in Deo & coram hominibus reverendiſſime, ad perpetuam pontificum Romanorum infamiam, reique tam nefariè cœptæ perfectæque memoriam, exegi monumentum: quod ſtatuo ad pedes Gamalielis, *hoc eſt, reverendæ paternitatis tuæ, tuique ſimilium, ad quorum pedes me nutriri & erudiri cum* Paulo (*ſed paulò negligentius*) *fateor patiórque. Equidem facturum me operæpretium, cum opus hoc (à nullo quod ſciam tentatum) primùm in manus ſumerem, certò credebam: ſed ut certior fierem, viſum eſt communicare conſilia cum eruditis doctrina, & provectis æta-*

te : feci, conſului, Oxoniæ, Rainaldum, Hollandum, *duo lumina-ria magna illius Academiæ* ; Londini, Baldgaium, Monfordum, Luidum, *ſtellas lucentes in firmamento hujus cœli : quid multa ? opus probatur, judicatur non inutile ; immò cenſetur fructuoſum, utile, neceſſarium. Quamobrem perrexi multò alacrius in cœpto itinere, nec refrœnari potui, aut volui deſideria mea, antequam ſatisfieret expectationi eorum, qui me currentem inciſarunt, & quorum monita ſequi mihi ſemper religio fuit, & futura eſt. En igitur opus multorum nec dierum, nec horarum (nam unius menſis curriculo acta, tranſacta ſunt omnia, liber ſcriptus, exſcriptúſque :) veruntamen ſenſi (expertus loquor) in tam parvo opere non parvos labores, & quod legenti erit (uti ſpero) gratum & jucundum, mihi ſcribenti fuit laborioſum & moleſtum. Quid ita ? quia neceſſe fuit ordinem propoſitum ſervanti, quem mihi* Sixti *arrogantia præſcripſerat,*

Sixtus in Præfat.

egregiè

egregiè ineptire; notando ſingula mutata, addita, vel detracta, diſcrepantia in aliqua parte vel particula; ut nullus apex nec apicula in poſterum in ulla editione reperiri poſſet, quæ juxta eam Sixti *ad unguem non emendaretur. Hinc igitur commotus ſum ut ſcriberem variam orthographiam, varios accentus, puncta varia, quæ minutiæ ſunt ſi ad illas monſtroſas diſcrepantias comparentur, quæ tot tantæque ſunt in illorum libris, ut in tantis magiſtris in Iſrael ferendæ non ſint. Gravis controverſia oritur inter Papiſtas & nos de* Hieronymi *verſione: fuiſſe* Hieronymum *linguarum peritiſſimum conſtans & recepta eſt Proteſtantium & Papiſtarum omnium opinio; & certo certius eſt,* Hieronymum *pro peritia ſua in linguis, edidiſſe interpretationem Bibliorum omnibus ſuis numeris abſolutam; ſed quæ ſit ea, aut ubi ſit, non convenit inter nos & Papiſtas, dubitatur adhuc, & adhuc ſub judice lis eſt. Sed demus ultrò, quod invitis difficulter*

extorquebunt, editionem, quam vulgatam dicunt, hanc ipſam eſſe, quam Hieronymus *olim à ſe ſcriptam per manus ad poſteros tranſmiſerat. Eſto: Jam cum habeamus adverſarios confitentes varias editiones vulgatas, à* Stephano, Hentenio, Lovanienſibus, Sixto *&* Clemente *variis temporibus & variis modis elucubratas, cedo, quæ Biblia volunt in tot diſſentientibus Bibliorum editionibus pro veris, legitimis, authenticis, & indubitatis in omnibus publicis privatiſque diſputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipienda & tenenda eſſe. Si* Stephani *induſtriam laudant, improbant labores* Hentenii; *Si* Hentenium *probant, irriti ſunt labores* Lovanienſium: *Si* Lovanienſes *diligentes fuerunt (& fuerunt certè) quid opus fuit gemina induſtria* Sixti? *Sed hîc, dicet fortaſſe aliquis, explodatur* Stephanus, *jaceat* Hentenius, *frigeant* Lovanienſes, *at* Sixtus *audiendus eſt quia Papa, & quia Papa audiendus tanquam*

quam Oraculum; labi, errare, decipi humanum eſt; at Papa humanum nihil ad ſe pertinere putat, deus eſt, errare non poteſt, in cauſa fidei nec fallit nec fallitur: ac ſanè ſi quis attenderet ſuperba & portentoſa verba Sixti *in præfatione, facilè animum induceret ſuum ut crederet, à nato* Adamo *ad infantem jam editum, Solem non vidiſſe ſcientiorem, præ quo omnes Pontifices qui ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt ſorderent: ſed hæc verba ſunt & verba tantùm, dicit ſed nihil probat. Similes ſunt* Lutheri *diſcipuli omnes, ait* Bellarminus, *è quorum libris ſi jactationes, mendacia, ſcommata, maledicta, convitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli perexigui effici poſſent: videat* Bellarminus *utrum in* Sixtum *ejuſque ſequaces non recidat quod dicit. Item illud eodem loco; de hæreſiarchis plura dici poſſent, ſed unum eſt vitium omnibus commune ſuperbia. Sed ad reprimendum ſuperbiam, & retundendum blaſphemiam hujus* Sixti, *ſu-*

Bellar. contr. 4 tom. 1. p. 328.

Pag. 325.

pra Deum & omne quod vocatur deus, ſe exaltantis, non opus eſt aliunde accerſito auxilio à Calviniſtis, Lutheranis, aut Zuinglianis (ſic enim per opprobrium pios appellant) ſatis erit ſupérque omnibus factum, credo, ſi Papam cum Papa, Sixtum *cum* Clemente, Quintum *cum* Octavo, *ignorantiam cum ſcientia, tenebras cum luce, antiquitatem errorum cum novitate veritatis contendere faciam. Liquebit enim ex odio hujus comparationis (nam comparationes omnes ſunt odioſæ) quàm diſpar & diſſimilis ſit ratio* Sixti & Clementis; *ait* Clemens, *negat* Sixtus: *ait* Sixtus, *negat* Clemens. *ô ridendam diſcrepantiam, & craſſam ſtultitiam Pontificum Romanorum! miſeret me illorum, ſed fortaſſe ſtultos nos putarunt cum iſta ſcriberent; at multò ſtultiores illi qui eodem ſpiritu, hoc eſt, ſecundum pſeudocatholicos Apoſtolico, divino; revera fanatico, impio, diabolico, ſpirant calidum frigidum; verum falſum: ſed magna eſt veritas & prævalebit. Elucubravit ante annos*

nos plus ſeptem Biblia ſua perpetuò valitura Sixtus Quintus, *Pontifex optimus maximus: ſecundo poſt anno* Clemens *procudit novam editionem Bibliorum uſque adeo contrariam priori, ut non cognoſcas eandem eſſe: & tamen utráque recipienda & tenenda eſt. Utri creditis? confidentiſſimus de Bibliis ſuis* Sixtus, *metuens ſibi de ſuis* Clemens, *arrogans hic, modeſtus ille, ſed duntaxat modeſtus; mendax hic & ille: pro* Sixto *faciunt** Lovanienſes, Stephanus *bona ex parte*, Hentenius, *& quotquot editiones receptæ ſunt in eccleſia Romana per ſpatium multorum annorum: pro* Clemente *nuda veritas Hebraica, Chaldaica, Græca. Apage igitur* Sixte *cum inveteratis & obſoletis erroribus; ad emendatiorem* Clementis *confuge Papiſta, tanquam ad portum & columnam veritatis hortante Jeſuita. Quod ſi impetrare poterit* Antonius Poſſevinus *à moderno Papa (quemadmodum gratioſus eſt & multùm poteſt apud eundem) ut pergere velit*

Sixti Biblia edita ſunt anno Dom. 1590. Clemens emendavit & edidit anno Dom. 1592, in folio, & 1593, in quarto.

*Secus accidit in novo Teſtamento.

Ant. Poſſevinus Bib. ſelectæ. l. 2. c. 8.

lit ſanctitas ejus (ſi liberum beatitudini ejus tempus à negotiis gravioribus concedatur) in emendando & conferendo Biblia cum originalibus linguis in quibus ſcripta ſunt, hoc eſt cum Græco fonte & Hebraica veritate, nihil veritus hæderam Ionæ, *aut verba* Hieronymi *de multa non mutando ad offenſionem populi vitandam, magnam inibit apud omnes bonos gratiam tum ipſe* Clemens, *tum etiam alii ſtudioſi veritatis vera dicentem ſcribentémque cupidiſſimè ſequentur. Interim velim & rogo, Apoſtolo monente, ut omnia probent, & quod bonum eſt teneant. Ita veritas eò aliquando unde vi dejecta eſt, reſtituta glorioſè triumphabit de inimicis ſuis, & tum demum vera erit alioqui inſulſa & ridenda eorum gloriatio*; Non ſunt editiones noſtræ ut editiones illorum, & inimici noſtri ſunt judices.

Hieron. epiſt. ad Suniam & Fretellam. Præfat. evangel. ad Damaſum.

Bellar. 1 con. Gen. pag. 170.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ÆTernus ille cœleſtium, terreſtriumque rerum omnium conditor ac moderator Deus, Eccleſiam ſanctam veluti deliciarum Paradiſum, ſua ipſemet dextera, tanquam providus Agricola, variis plantis, ſtirpibuſque mirificè conſevit, ſimulque uberrimo ſacrarum eandem ſcripturarum fonte, pluribus quaſi fluviis, in univerſum terrarum orbem diffuſos, ſic irrigavit, ut ſancta myſteria, oraculáque divina, quæ ſacris continentur libris, ſicut in cunctarum gentium ſalutem parabantur, ita à tribus illis potiſſimum enunciarentur linguis, quæ in omnium auribus nationum maximè percrebuerunt, nec non ſanctiſſimæ Crucis titulo conſecratæ, Salvatoris noſtri Regnum, Hebræis, Græcis ac Latinis literis prædicarunt, callidiſſimus, ac nequiſſimus humani generis hoſtis, cujus invidia mortis aculeus, cujus ſuperbia peccandi magiſterium fuit, nullum non movit lapidem, ut cœleſtem divini verbi ſementem quantum in ipſo erat, aut naſcentem opprimeret aut extirparet enatam,

tam, aut adultam vitiaret, id verò præcipuè omni conatu, ac machinatione tentavit, ut ſacrorum quædam corruptiſſimæ Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas ſub pietatis figura deliteſceret, ac populis ſcoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte ſanies obtruderetur. Cúmque non in Hæreticis tantum, ſed in Catholicis etiam quibuſdam, tametſi conſilio diſſimili, ſubortum ſit nimium quoddam nec planè laudabile ſtudium, & quaſi libido Scripturas Latinè interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licèt nihil tale cogitantes, ex hac ipſa tam incerta, ac multiplici verſionum diverſitate & varietate ſumpta occaſione, ſic miſcere omnia, atque in dubium revocare, et, ſi fieri poſſet, rem eò perducere contendit, ut dum Scripturarum verbis diverſi interpretes aliam atque aliam formam, ac ſpeciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas ſine magna difficultate reperiri poſſe videretur, ita ut hoc ſeculo valde timendum fuerit, ne in priſcum illud editionum Chaos rediremus, de quo B. *Hieronymus* inquit: Apud Latinos tot ſunt exemplaria quot Codices: & unuſquiſque pro arbitrio ſuo addidit vel ſubtraxit, quod ei

In præfatione in Joſue & in præfat. quat. Evangeliorum.

viſum eſt; & utique non poteſt verum eſſe, quod diſſonat. Itidemque ſanctus *Auguſtinus* dixit, Latinos Scripturarum interpretes nullo modo numerari poſſe. Ut enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibimet utriuſque linguæ habere videbatur, interpretari auſus eſt. Quare huic morbo ſacroſancta Tridentina Synodus mederi cupiens ſtatuit ut ex omnibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum Latinis editionibus, ipſa Vetus, ac Vulgata, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt editio, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat. Hæc autem Vulgata editio cum una eſſet, variis lectionibus in plures quodam modo diſtracta videbatur. Quarum licèt nonnullas, aut veterum Codicum, aut ſanctorum Patrum invexiſſe auctoritas, plurimæ nihilominus vel ex injuria, temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impreſſorum imperitia, vel ex temerè emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Eccleſiæ filii cum ſint, minus tamen Eccleſiæ doctoribus, quàm

Lib. 2. c. 11 de doctr. Chriſtiana. Tom. 3.

Seſſ. 4 decreto de editione & uſu ſacrorum librorum.

Judæorum Rabbinis morem ſibi gerendum putarunt: vel demum ex hæreticorum ſcholiis ad marginem, captioſiſque fallaciis obrepſerant. Et, quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucuſque repertum ſit, quod fidei, & morum cauſis tenebras offundere potuerit; verendum tamen fuit, ne creſcente magis, ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate, hæc probatiſſima Scripturarum Editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, diſſentientium conſenſionem, certiſſimam in rebus dubiis normam eſſe oportebat, pleriſque contra, ſchiſmatis, & hæreſis inductio, dubitationum fluctus, involutio quæſtionum, diſcordiarum ſeges, & piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quòd in 70. interpretum Græca editione beatus *Hieronymus*, in Latina verò ſanctus *Auguſtinus* olim accidiſſe commemorant. tanta autem labes ne adhuc ulterius ſerperet, ſenſimque in Vulgatam editionem noſtram manaret, ſapienter eadem œcumenica Synodus Tridentina decrevit ut hæc ipſa Vetus, & Vulgata editio poſthac quàm emendatiſſime imprimeretur. Verum quia nihil profuiſſet hujus Editionis auctoritatem graviſſimo ſanxiſſe decreto, ſi illius quæ germana eſſet lectio neſciretur,

In præfat. in Eſdram & Nehemiam. Idem in priori præfat. in Paralipom. tom. 3. Epiſtola 10. ad Hieronymum tom. 2.

tur, ſacerque textus ita diſputantium pateret arbitrio, ut is, qui adverſus perfidum hoſtem, tanquam validiſſimus mucro diſtrictus fuerat, idem & clypeus fieri poſſet, quo debilitati jam, cæſique hoſtis latera tegerentur. Id igitur nos indignè ferentes, eóque indignius, quod per hoſce jam viginti duos annos, qui à dicto Tridentini Concilii decreto, ad noſtri uſque Pontificatus exordium interfluxerant, licet hujuſmodi opus aliquando cœptum fuerit, tamen ob alias fortaſſe occupationes intermiſſum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat: ac propterea tanto impenſiore cura ac ſtudio id proſequendum cenſentes, quanto magis, & ab omnibus Dei eccleſiis expetitur, & à ſynagogis Satanæ reformidatur; cum primum ad Apoſtolicam beati Petri ſedem divina nos miſeratio, meritis licet imparibus evocavit; nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore, optatiſſimam iſtam Vulgatæ editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui ſanctarum Scripturarum, ſacræ Theologiæ, multarumque linguarum ſcientia, ac diuturno variarum rerum uſu, acríque, cum aliquid diſcernendum eſt, judicio, ac ſolertia præſtarent, delegimus, ac ſimul

congregavimus, ut in germana, ſinceraque ſacri textus editione perquirenda, ſtrenue laborarent, nobiſque adjumento forent. Nos enim rei magnitudinem perpendentes, ac proinde conſiderantes, ex præcipuo, ac ſingulari Dei privilegio, & ex vera, ac legitima ſucceſſione Apoſtolorum Principis B. *Petri*, pro quo Dominus ac Redemptor noſter, ab æterno Patre pro ſua reverentia procul dubio exauditus, non ſemel tantum, ſed ſemper rogavit ut ejus fides, non humana carne, & ſanguine, ſed eodem Patre inſpirante ei revelata, nunquam deficeret: cui etiam Dominus injunxit ut cæteros Apoſtolos in eadem fide confirmaret: qui denique, ſicuti confidimus, divinam pro nobis opem uſque ad conſummationem ſæculi, eccleſiæ Catholicæ promiſſam, implorare non ceſſat, ad nos in ejuſdem Petri Cathedra, in qua ejus vivit poteſtas, & excellit auctoritas, Deo ſic diſponente conſtitutos, totum hoc judicium propriè, ac ſpecialiter pertinere, Dei omnipotentis auxilio ſuppliciter invocato, & ipſius Apoſtolorum Principis auctoritate confiſi, ob publicam ſanctæ Dei Eccleſiæ utilitatem haudquaquam gravati ſumus, inter alias Pontificiæ ſolicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis labo-

Hebr. 5.

Luc. 22.

S. Leo ſerm. in Nativit S S. Petri & Pauli.

S. Leo. ſerm. 2.

rem

rem ſuſcipere, atque ea omnia perlegere, quæ alii collegerant, aut ſenſerant, diverſarum lectionum rationes perpendere, ſanctorum doctorum ſententias recognoſcere: quæ quibus anteferenda eſſent, dijudicare, adeo, ut in hoc laboriosiſſimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in conſulendo, noſter autem in eo, quod ex pluribus eſſet optimum, deligendo: ita tamen, ut Veterem multis in Eccleſia abhinc ſæculis receptam lectionem omninò retinuerimus. Novam interea Typographiam in Apoſtolico Vaticano Palatio noſtro ad id potiſſimum magnificè extruximus, atque ad ejus curam, Congregationem aliquot ſanctæ Ro. Eccleſiæ Cardinalium, & inſigne Collegium doctiſſimorum virorum fere ex omnibus Chriſtiani orbis nationibus, & celeberrimis ſtudiorum Generalium univerſitatibus, amplis, opulentiſque redditibus donatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur: eáque res quo magis incorruptè perficeretur, noſtra nos ipſi manu correximus, ſi qua prælo vitia obrepſerant, & quæ confuſa, aut facile confundi poſſe videbantur, ea intervallo ſcripturæ, ac majoribus notis,

& interpunctione diſtinximus. Cæterum, noſtri ne hujus conſilii, inſtitutique rationes ignorentur, ſed potius univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, ipſique poſteritati notiſſimæ, ac teſtatiſſimæ relinquantur, cunctique facile intelligant, quiſnam ordo in hoc opere conficiendo, quæ lex, ac methodus inita, quæ indagandi veri norma à nobis ſervata ſit: illud ſane omnibus certum atque exploratum eſſe volumus, noſtros hos labores, ac vigilias, nunquam eo ſpectaſſe, ut nova editio in lucem exeat, ſed ut Vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præſcripto, emendatiſſima, priſtinæque ſuæ puritati, qualis primum ab ipſius interpretis manu, ſtyloque prodierat, quoad ejus fieri poteſt, reſtituta imprimatur. In hac autem germani textus perveſtigatione, ſatis perſpicuè inter omnes conſtat, nullum argumentum eſſe certius, ac firmius, quàm antiquorum, probatorumque Codicum Latinorum fidem, quos tam impreſſos, quam manuſcriptos, ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetuſtiores, atque emendatiores libri conſentire reperti ſunt, ea jure optimo, tanquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima, retinenda decrevimus. Id verò ad germanam editionem conſtabiliendam,

dam, præſidium ſicubi deſideratum eſt, tunc ſanctorum Patrum, veterumque expoſitorum enarrationes, quibus diverſa ſcripturarum loca, & libros illuſtrarunt, ſubſidio fuere: in quibus, quidquid è re noſtra obſervatum fuit, id in hujus operis partem adſcitum eſt. In iis tandem quæ neque Codicum, neque doctorum magna conſenſione ſatis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur, ſed ut in eorum verborum locum, quæ, cum apud Latinos ambigua ſint, potuiſſent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid, atque indubitatum ſufficeretur, ſive ut, quod apud nos variantibus Codicibus inconſtans, diverſum, ac multiplex erat, id uniforme, conſonum, uniuſque modi, ipſorum fontium veritate perſpecta, ſanciretur. Sapienter enim B. *Hieronymus* in explanandis ſacris Scripturis doctor maximus admonebat, ut quemadmodum in novo Teſtamento, ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, ad fontem Græci ſermonis, quo novum Teſtamentum eſt ſcriptum, recurri ſolet: ita ſi quando inter Græcos, Latinósque diverſitas eſt in veteri Teſtamento, tunc ad Hebræam

In epiſtola ad Suniam & Frettellam. tom. 3.

Hebræam recurramus veritatem, ut quidquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis: quod etiam B. *Auguſtinus* iis, qui Scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. Laudabilem itaque ſanctorum Patrum conſuetudinem religioſe ſecuti ſumus, dum in iis, quæ apud Latinos nimis ambigue dicta, ſeu variata habentur, Hebrææ, Græcæque linguæ fidem, & Codices inſpeximus; ſed, ne id licentius fieret quam æquum erat, ſolers cautio adhibita fuit. Neque enim ignoramus multos eſſe, qui pleraſque Latinæ hujus editionis voces, ac locutiones, proprie, aut eleganter, aut perſpicuè, aut breviter, aut copioſe magis, aut tanquam verbis ad verba demenſis, à Latino interprete verti potuiſſe exiſtiment. Verum de his minuta nimium, & anguſta concertatio videtur: neque enim tanti ſunt, ut non iis & antiquioris Eccleſiæ religio, & ſanctiſſimorum Patrum jure anteponatur auctoritas: prorſúſque indignum eſt, B. *Gregorio* teſte, ut ſub Donati regulis verba cœleſtis oraculi reſtringantur: ac tanta per ſe eſt Vulgatæ editionis auctoritas, támque excellens præſtantia, ut majorem deſiderare, penitus inane videatur. Qui namque in ea libri continentur (ut à majoribus noſtris quaſi per manus traditum nobis eſt) retenti

S. Aug. l. 2. Doct. Chr. cap. 14 & 15. tom. 3. & lib. 11. contra Fauſtum c. 2. tom. 6

Epiſt. ad Leandr. in expoſ. Job cap. 5.

tenti ſunt partim ex communi, & antiquiſſima quadam editione Latina, quam ſanctus *Hieronymus* Vulgatam editionem, B. *Auguſtinus* Italam, ſanctus *Gregorius* Veterem tranſlationem appellant, quam ſanctus itidem *Auguſtinus* cæteris, quæ tunc plurimæ in uſu erant, etiam præferendam cenſuit, quòd eſſet verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ; partim ex ſancti *Hieronymi* tranſlatione adſciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus ſit, is facile intelligit, qui eorum Interpretis dignitatem agnoſcit. Fuit enim ſanctus *Hieronymus* (ut inter cæteros idem B. *Auguſtinus* teſtatur) Græco, Latino, & Hebræo eruditus eloquio, & ex occidentali ad orientalem tranſiens Eccleſiam, in locis ſanctis, literisque ſacris, ad decrepitam uſque vixit ætatem: atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina Eccleſiaſtica ſcripſerant, pene vidit, aut legit: eumque non modo *Auguſtinus*, *Chromatius*, *Paulinus*, cæterique ſanctiſſimi Epiſcopi, ſed etiam *Damaſus* Pontifex Rom. de Scripturarum locis conſulebant. Nec immerito tantam apud omnes nominis celebritatem, in ſanctarum præſertim Scripturarum ſcientia, adeptus fuerat. Cum ad eam conſequendam, nullis vigiliis, nullis peregrinationi-

S. Hieron. comment. in Iſaiæ cap. 49. tom. 4. S. Auguſt. l. 2. de Doct. Chriſt. cap. 15. tom. 3.

Epiſt. ad Leand. in expoſitionem Job cap. 5. Lib. 1. contra Julianum Pelagianum. tom. 7.

tionibus pepercerit, et doctiſſimos quoſque in Gallia audiverit: *Conſtantinopoli Gregorium Nazianzenum, Alexandriæ Didymum*, & alios alibi conquiſiverit, uſus denique clariſſimis Hebrææ linguæ Magiſtris: non enim uno aliquo doctore contentus fuit, ſed plurimos, eoſque eruditiſſimos adhibebat: non rerum modo, verum etiam nominum ſedulus indagator. Quinimo & loca ipſa, quæ in Scripturis ſæpe commemorantur, inſpexit, idque ad intelligentiam Scripturarum ſummopere ſibi profuiſſe teſtatur. Quicunque igitur tanti Interpretis ſanctitatem, ingenium, eruditionem, ſolertiam, Magiſtros, labores, illud in quo vixit ſeculum, cum linguarum omnium, ac præſertim Hebrææ ſtudia florerent, diligenter ſpectaverint; facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris Lucubrationibus non acquieſcunt, aut etiam meliora, ſeu paria præſtare ſe poſſe confidunt. Multo ſane rectius ſanctus *Iſidorus*, venerabilis *Beda* Presbyter, ſanctus *Remigius*, *Alcuinus*, *Fortunatus*, *Rabanus*, *Maurus*, ſanctus *Anſelmus*, B. *Bernardus*, *Haymo*, *Richardus*, & *Hugo Victorini*, *Petrus Cluniacenſis*, *Rupertus Abbas*, aliique complures egregii doctores, qui per mille ab hinc annos in Eccleſia claruerunt,

In præfat. libri Paralipom. ad Domnionem & Rogatianum tom. 3

runt, qui *Hieronymi* verſione ita in omnibus diſputationibus, enarrationibus, declamationibus uſi ſunt, ut cæteræ, quæ pene innumerabiles erant, quaſi lapſæ de Catholicorum Patrum manibus obſoleverint. Ideoque legimus apud ſanctum *Iſidorum*, quoniam de Hebræo in Latinum eloquium ſanctus tantummodo *Hieronymus* ſacras Scripturas convertit, ejus Editione generaliter omnes Eccleſias uſquequaque uti, eo quod veracior eſt in ſententiis, & clarior in verbis. Et ante *Iſidorum* B. *Gregorius Magnus* fere idem ſenſerat. Nec Latini modo Patres, ſed Hebræi quoque, Græcique cum Latinos alios interpretes negligant, aut ignorent, *Hieronymum* tamen ampliſſimo ſuo teſtimonio, & honore dignum eſſe cenſuerunt. Nam de Hebræis idem *Auguſtinus*: de Græcis autem ipſemet ſanctus *Hieronymus* ſcribit, à *Sophronio* viro optime erudito Pſalterium, & Prophetas, quos *Hieronymus* ex Hebræo in Latinum verterat, in Græcum eleganti ſermone tranſlatos fuiſſe. Quemadmodum ergo laudabile eſt, ubicunque noſtri Codices ipſi per ſe aut conciliari, aut intelligi non poſſunt, linguarum externarum præſidia quærere; ita, cum id neceſſarium non eſt, leviſſimis de cauſis majorum noſtrorum ſanctitatem, ſapientiam,

Lib. 1. de officiis divinis cap. 12.

Lib. 20. Moral. c. 24. tom. 2.

Lib. 18 de civit. Dei, cap. 43. tom. 5. De viris illuſtribus in Sophronio.

entiam, conſenſum, vetuſtiſſimámque Eccleſiæ conſuetudinem non vereri, temeritas plane, pertinaciáque cenſenda eſt. Atque idcirco B. *Hieronymus*, qui Hebræos, Græcoſque interrogandos eſſe dubiis in rebus admonet; idem etiam ſentit, eo non niſi parce, & quanto rarius fieri poteſt (ne, quæ longo recepta ſunt uſu, fluctuent) recurrendum. Qua de cauſa, ad novi Teſtamenti tranſlationem, quamvis hortante *Damaſo* Pontifice, tardior fuit, pium appellans laborem, ſed periculoſam præſumptionem judicare de cæteris, ipſum ad omnibus judicandum, ſenis mutare linguam, & caneſcentem jam mundum in initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen ſumpſerit, & à ſaliva, quam ſemel imbibit, viderit diſcrepare quod lectitat, non ſtatim erumpat in vocem falſarium illum clamitans, & ſacrilegum, qui audeat in veteribus literis addere, mutare, corrigere? Notiſſimúmque eſt illud de Jonæ cucurbita, quæ in Veteri editione legebatur; pro qua cum *Hieronymus* hederam poſuiſſet, quodam in Africa Epiſcopo interpretationem *Hieronymi* in Eccleſia lectitante, factus eſt tantus tumultus in plebe propter unius verbi diſſonantiam, ut coactus ſit Epiſcopus, ne

In præfat. quatuor Evangeliorum tom. 3.

Epiſt. 10 & 11. tom. 1.

Seſſ. 4.

ſacer-

ſacerdotio dejiceretur, damnare quod legerat. Quare meritò ſacra Tridentina Synodus veteris Vulgatæ editionis libros non aliter, quam prout in Eccleſia legi conſueverunt, pro canonicis ſuſcipiendos decrevit. Nos autem ut hæc Vetus editio, quæ nunc prodit noſtro excuſa prælo, ejuſdem Synodi præſcripto modis omnibus reſponderet, non ſolum veteres, & ab Eccleſia receptos loquendi modos conſervavimus, ſed etiam Apocrypha rejecimus, authentica retinuimus. Nam tertium & quartum *Eſdræ* libros inſcriptos, & tertium *Machabæorum*, quos Synodus inter Canonicos non annumerat, aſſentientibus etiam in hoc prædictis Cardinalibus Congregationis ſuper Typographia Vaticana deputatæ, ab hac editione prorſus exploſimus. Orationem etiam *Manaſſæ*, quæ neque in Hebræo, neque in Græco textu eſt, neque in antiquioribus Manuſcriptis Latinis exemplaribus reperitur; ſed in impreſſis tantum poſt Librum ſecundum *Paralipomenon* affixa eſt, tanquam inſutam, adjectam, & in textu ſacrorum Librorum locum non habentem, repudiavimus. Nonnullas etiam aliquando ſententias, quæ aliunde accerſitæ, Vulgatæ editioni interpoſitæ erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in ſanctorum Patrum Sess. 4.

Commentariis inveniebantur, delevimus. Hanc denique editionem à variis, qui vitio multorum irrepſerant, erroribus accurate emendavimus, & purgavimus, atque in priſtinam veritatem ſumma diligentia reſtituimus. Neque vero eſt quod quiſpiam miretur, ſi aliqua ſacræ ſcripturæ loca aliter in ſanctis quibuſdam doctoribus legerit, quam in hac editione conſcripta ſunt. Nam *Ambroſius*, *Auguſtinus*, & alii plurimi ſeptuaginta Interpretum editionem plerumque ſecuti fuerunt. Ad Laudem igitur & Gloriam Omnipotentis Dei, Catholicæ fidei conſervationem, & incrementum, ac ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ utilitatem, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione, de eorundem venerabilium Fratrum noſtrorum *S. R. E.* Cardinalium ſuper Typographia Vaticana deputatorum conſilio & aſſenſu, quorum opera, & induſtria, in hac ipſa Vulgatæ editionis emendatione, in rebus præſertim gravioribus uſi ſumus, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, ac declaramus, eam Vulgatam ſacræ, tam veteris, quam Novi Teſtamenti paginæ Latinam Editionem, quæ pro authentica à Concilio Tridentino recepta eſt, ſine ulla dubitatione, aut controverſia cenſendam eſſe

hanc

hanc ipſam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impreſſam in univerſa Chriſtiana Rep. atque in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem univerſali ſanctæ Eccleſiæ, ac ſanctorum Patrum conſenſione, deinde verò generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apoſtolica nobis à domino tradita auctoritate comprobatam, provera, legitima, authentica, & indubitata, in omnibus publicis privatiſque diſputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam, & tenendam eſſe. Diſtrictius vero inhibemus, ne unquam perpetuis futuris temporibus, novæ vulgatæ editionis poſthac Bibliorum ſine expreſſa Apoſtolicæ ſedis licentia textus imprimatur: neve quiſquam privato, aut peculiari ſuo ſenſu aliam editionem ſibi confingere, neve hanc ipſam Veterem Vulgatam à nobis, ut præfertur, reſtitutam editionem, intra decem annos à datis præſentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi, quam in noſtra Typographia Vaticana, imprimere audeat vel præſumat. Elapſo autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo ſanctas Scripturas typis mandare præ-

ſumat, niſi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuſo, eodemque Inquiſitoris hæreticæ pravitatis ejus Provinciæ, vel, ſi Inquiſitor in ea Provincia non ſit deputatus, Epiſcopi ejuſdem loci manu propria ſubſcripto, juxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta. Poſtquam vero Libri ſacri ſic fideliter excuſi fuerint, nec tunc quidem vendantur, aut evulgentur, niſi prius delato rurſus ad Inquiſitorem, vel deficiente inquiſitore, ad Epiſcopum exemplari ab eis antea ſubſcripto, iidem libri juxta illud impreſſi, cum eo diligenter, & accuratè collati, & Inquiſitoris, vel in eventum prædictum, Epiſcopi ſigno, aut Chirographo quod inter ſe prorſus concordent fidem faciente, & atteſtante, approbati extiterint. Verum, quoniam ex variis, quæ hactenus ad marginem adſcribi conſueverant, lectionibus illud ſequitur incommodi, ac moleſtiæ, quod, cum primum hujuſmodi varietas oculis objicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc inſtat agendum, avocat, illumque alieno plane tempore ad ea, quæ in Codicibus diſſonant inter ſe conferenda traducit, nec facile eſt in tanta lectionum multiplicitate Scripturas inoffenſo pede percurrere, & ea quaſi ſilva diverſitatis oblata, quæ quibus præponenda ſint, inter-

noſcere;

noſcere; Nos optimum factu, piiſque omnibus gratum fore arbitrati, ut Eccleſiæ filii ab his perplexitatibus, ejuſdem Eccleſiæ judicio, liberentur, utique eos, quibus unum baptiſma, una fides, una ſpes vocationis eſt, diſſentiens non dividat lectio Scripturarum, quarum potiſſimum indifferens conſenſio eos debuit in unitatem Spiritus copulare; Auctoritate, & tenore præmiſſis mandamus, ut Vulgatæ editionis Biblia poſthac non niſi uniformia imprimantur, nec aliquid à textu diverſum in margine ſcribatur. Quæ vero antehac quibuſcunque in locis impreſſa ſunt, juxta hunc noſtrum textum ad verbum & ad literam corrigantur. Idque tam impreſſis, quam in imprimendis Miſſalibus, Breviariis, Officiis Beatæ Mariæ Virginis, Pſalteriis, Ritualibus, Pontificalibus, Ceremonialibus, & aliis Eccleſiaſticis Libris, quoad eas tantum Scripturæ lectiones, & verba quæ ex Vulgata editione ſumpta, atque in eiſdem libris inſerta fuiſſe conſtat, ubique ſervetur. Si quis autem Typographus in quibuſcunque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam noſtræ, & S. R. E. ditioni in temporalibus ſubjectis, quàm non ſubjectis, Biblia ſacramque Scripturam intra decennium prædictum quoquo modo; lapſo autem

decennio aliter quam juxta hujuſmodi exemplar ab Inquiſitore, ſeu, in ejus defectum, ab Epiſcopo ſibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata, addita vel detracta, aut ad marginem, vel in textu adſcripta, etiam per modum ſcholiorum, annotationum vel gloſſæ, typis mandare, aut ſic quidem codices impreſſos & emendatos, ſine tamen dicto ſigno, & atteſtatione, quod cum priori exemplari, ſibi, ut præfertur, tradito concordent, vendere, venales habere, aut aliàs edere vel evulgare; aut, ſi quis Bibliopola à ſe, vel ab aliis quibuſvis, etiam ad hanc uſque diem, vel in futurum, ante vel poſt Dat. præſentium literarum impreſſos libros, ſeu imprimendos, à præfata per nos reſtituta, & correcta Editione in aliquo diſcrepantes, vel juxta eam ad unguem non emendatos, ac ſimili Inquiſitoris, ſeu Epiſcopi, ſubſcriptione non approbatos, ſeu cum additionibus, aut variis iectionibus ad marginem conſcriptis excuſos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præſumpſerit; is qui in ſupradictis caſibus, ſive eorum quolibet noſtræ huic conſtitutioni non paruerit, ultra amiſſionem omnium librorum & alias temporales arbitrio infligendas pœnas, etiam majoris excommunicationis ſententiam eo ipſo incurret,

ret, a qua, niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio, quam pro tempore exiſtente Rom. Pontifice abſolvi non poſſit. Quòd ſi Inquiſitor, aut Epiſcopopus aliud exemplar ab eo quod in Vaticana Typographia impreſſum eſt, quoquo modo diſcordans Typographo ad imprimendum tradiderit, vel impreſſum ſuo ſigno, aut ſubſcriptione approbaverit, quod revera ab eo diſcordet; in eum, ſi Antiſtes fuerit, etiamſi Archiepiſcopali, Primatali, Patriarchali, vel alia majori præfulgeat dignitate, interdicti ingreſſus Eccleſiæ; ſi autem inferior, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrendam ex nunc per præſentes ferimus, ita ut ab alio, quam à Rom. Pontifice abſolutionis, aut relaxationis beneficium conſequi nequeat. Et nihilominus tam Inquiſitor, ſeu Epiſcopus ipſe, qui hujuſmodi libros à præfata impreſſione Vaticana differentes approbaverit, quàm etiam Typographus, ſeu Bibliopola, qui noſtris ſuperius expreſſis præceptis, ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in Congregatione Cardinalium ſanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem pro tempore deputatorum, ſe coram Judice, vel Judicibus ab eadem Congregatione delegatis, de hujuſmodi

juſmodi facto in diſtricto judicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpæ, ſeveris pœnis ejuſdem Congregationis, ſeu Judicis, vel Judicum, ab ea deputandorum arbitrio puniatur. Cæterum ſi Manuſcripta, vel Impreſſa Biblia hujus etiam vulgatæ Editionis, ob Characterum venuſtatem, ſeu ob aliquod inſigne Codicis ornamentum, ſive ob impreſſionis præſtantiam, vel ob notationes ad marginem ſcriptas aſſervantur, & juxta noſtrum hoc exemplar emendata non fuerint, ea in iis, quæ huic noſtræ Editioni non conſenſerint, nullam in poſterum fidem, nullamque auctoritatem habitura eſſe decernimus, ac declaramus: Mandantes univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis, per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentem Conſtitutionem in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus & Juriſdictionibus curent perpetuo, firmiter & inviolate ab omnibus obſervari, contra dictores & inobedientes per cenſuras Eccleſiaſticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus conſtituti-

ſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, atque in Generalibus, Provincialibus vel Synodalibus Conciliis editis, nec non quarumcunque Eccleſiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum atque Univerſitatum, Etiam Studiorum Generalium, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacifice obſervatis Privilegiis quoque, Indultis & literis Apoſtolicis, illis, eorumque vel earum Prælatis, Superiorbus, & perſonis per quoſcunque Romanos, Pontifices, Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam, motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine & alias ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, & ſæpius approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi de conſenſu certarum Perſonarum, vel niſi ſub certis modo & forma inibi expreſſis, derogari poſſit, & aliàs factæ derogationes nullæ ſint eo ipſo, ac pro illorum

illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret. Tenores hujuſmodi pro expreſſis habentis ad effectum præſentium duntaxat derogamus, ac nolumus illa cuiquam adverſus præmiſſa in aliquo ſuffragari; aut, ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem præſentes literas in valvis Baſilicæ Lataranenſis, ac Principis Apoſtalorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ de more publicari, & intra quatuor menſes, eos, qui citra montes ſunt; qui vero ultra montes, intra 8. menſes à die publicationis hujuſmodi numerandos perinde arctare & afficere, ac ſi eorum cuilibet perſonalitèr intimatæ fuiſſent: Decernentes ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, ac Sigillo Prælati Eccleſiaſtici obſignatis, eadem ubique habeatur fides, quæ ipſis originalibus exhibitis, vel oſtenſis haberetur. Nullo ergo omnino hominum liceat hanc Pagi-

nam

nam noſtri ſtatuti declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum *Petri*, & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Dat.* Romæ *apud ſanctam* Mariam, *Anno Incarnationis Dominicæ* 1589. *Kalendis* Martii, *Pontificatus noſtri Anno Quinto.*

Index

Index Locorum Manu ipſius Sixti Quinti vel aliorum poſt Impreſſionem Correctorum.

DEleto alio neſcio quo vocabulo ſuperinducitur ex nova impreſſione caſtigatione, verbum *prioribus*. Gen. cap. 41. v. 10.

Vox *Jaſubitarum* expuncto alio vocabulo. Num. cap. 26. v. 8.

Hæc duo verba *in circuitu*. 4 Reg. cap. 6. v. 15.

Verbum *Joſue* bis in eodem cap. nimirum 2 Eſdr. c. 12. v. 2. cum antea *Jeſue* per incuriam typographi (ut eſt maxime probabile) imprimeretur; hæc duo vocabula calamo correcta reperio, cætera vero ope manúque typographi.

Diſpuncta voce *latitudinem*, imprimatur de novo vox *altitudinem*. libro Judith c. 1. v. 1. quæ tamen correctio, uſque adeo diſplicuit Clementi, ut verſis vocabulis curaret, ut contrarium cudaretur.

Hæc verba Job. 18. v. 11. delitis aliis *involvent pedes ejus*.

Ita vocula, *ea*. Pſal. 148. v. 6.

Verbum, *Eſt*, Prov. 30. ver. 27. manu correctum reperio.

Vox, *venit*. Cant. cap. 2. v. 8.

Litera *a* in voce *Cantica* quæ eſt in titulo libri.

Verbum *greges*. Cant. cap. 4. v. 2. & rurſum ver. 3.

Vocabulum *videbis*. Cant. cap. 7. v. 1.

Verba hæc *de deſerto*. Cant. Cap. 8. v. 5.

Ultima ſyllaba in verbo *quoniam*, & integrum vocabulum *immortalitas*. Lib. Sap. cap. 8. v. 14.

Vox *denotatio* (hoc etiam notatum volo) Eccleſia-

cleſiaſtici cap. 5. v. 15. correxit hoc manus Sixti vel aliorum.

Vox, *inclinentur*. Iſa. c. 14. v. 11.

Hæc verba, *nunc quid*, Iſa. 52. v. 5. ubi vides vocabulum correctum, egere & ipſum quoque correctione alia.

Verba hæc, *Exui me*, Baruch. cap 4. 16.

Vox *limatus*. Ezech. cap. 21. v. 7. antea *lumatus* erat in impreſſis exemplaribus, hoc palam eſt, quia ſoluto glutine, apparet ſyllaba prior ejuſdem vocis.

Verbum, *limpidiſſimam*. Ezech. cap. 26. ver. 13.

Vox, *cornua* notatur calamo, tum infra vocem, tum etiam in margine perinde ac ſi delendum foret, Dan. cap. 7. ver. 6.

Hæc verba Danielis in eod. cap. v. 14. *quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra*, notantur, ſed quem in finem Hercules, neſcio.

Hæc verba, *in Jeruſalem*, Sixtus deleverat cum ea à Clemente in editione Bibliorum ſuorum unde ignorantia craſſa dejecta eſſent, reſtituantur, verba extant Zachariæ cap. 12. v. 5.

Verbum, *relinquatis*, relictum eſt ab ignavo & oſcitante typographo.

In novo Teſtamento particula, *&*, vel aliqua alia ejuſmodi particula deletur, in Actibus Apoſtolorum c. 7. v. 6. præter quem errorem alium non reperio, excepto niſi quod verbum *pro* abundet, 1 Petri c. 3. v. 11. quod tamen ipſum obeliſcum Sixti effugere non potuit. Itaque fruſtra aut ſine ſummis atque graviſſimis rationibus non ſunt illa glorioſa verba aureis literis inſcribenda præpoſita Novo Teſtamento ex ultimo Apoc.

Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, au-

ferat Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Nam ea fuit correctio hujus libri ut omnia bene, ut vulgo, vel ut de Deo dicitur Gen. 1. ver. ult. valdè bene videret: verum metuens ſibi in veteris Teſtamenti correctionibus, & emendationibus (quanquam in Veteri Teſtamento non minus locum habeant quam in Novo) conſultò omiſit hæc verba *Sixtus*: quod ritè factum ab eo, ejuſdem editionis cum *Clementis* comparatio, quam in ſequentibus (lector benevole quiſquis es tibi exhibemus) juſtiſſimè comprobabit. Quod ſi utrámque editionem qui ſciunt Hebraicè ad Lydium lapidem originalium linguarum, in quibus ſcripta ſunt Biblia reduxerint, invenient illam querelam Domini de *Judæis* apud *Iſaiam* non minus veram de Papiſtis pontificiáque Bibliorum depravatione, quam quæ apud Sagram. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum miſtum eſt aqua.*

Iſa. 1. 22.

BIBLIA

BIBLIA SACRA

Vulgatæ Editionis Sixti Quinti
Pont. Max. Juſſu

RECOGNITA ATQUE EDITA.

Accipe & devora. Apoc. 10.

ROMÆ
Ex Typographia Apoſtolica Vaticana
1590.

Præfatio ad Lectorem:

IN *multis magniſque Beneficiis, quæ per ſacram Tridentinam Synodum Eccleſiæ ſuæ Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot Latinas editiones divinarum Scripturarum, ſolam veterem ac vulgatam, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata fuerat, graviſſimo Decreto Authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreſes hujus temporis confirmandas licenter detortæ videbantur: ipſa certe tanta verſionum varietas, atque diverſitas magnam in Eccleſia Dei confuſionem parere potuiſſet, Jam enim hac noſtra ætate illud fere eveniſſe conſtat quod ſanctus* Hieronymus *tempore ſuo accidiſſe teſtatus eſt, tot ſcili-* Præfat in *Joſue.*

cet *Fuiſſe exemplaria, quot codices; cum unuſquiſque pro arbitrio ſuo adderet, vel detraheret. Hujus autem veteris ac vulgatæ editionis tanta ſemper fuit auctoritas, tamque excellans præſtantia ut eam cæteris omnibus Latinis Editionibus longe anteferendam eſſe, apud æquos Judices, in dubium revocari non poſſet. Qui namque in ea Libri continentur (ut a majoribus noſtris quaſi per manus traditum nobis eſt) partim ex ſancti* Hieronymi *tranſlatione, vel emendatione, ſuſcepti ſunt; partim retinenti ex antiquiſſima quadam editione Latina, quam S.* Hieronymus *communem & vulgatam, ſanctus* Auguſtinus *Italam, ſanctus* Gregorius *Veterem tranſlationem appellat. Ac de veteris quidem hujus, ſive Italæ editionis ſinceritate atque præſtantia præclarum ſancti* Auguſtini *teſtimonium extat in ſecundo libro de Doctrina Chriſtiana, ubi Latinis omnibus dictionibus, quæ tunc plurimæ circumferebantur, Italam præferendam cenſuit, quòd eſſet ut ipſe loquitur, verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ. De ſancto vero* Hieronymo *multa extant veterum Patrum egregia teſtimonia: eum enim ſanctus* Auguſtinus *hominem doctiſſimum, ac trium linguarum peritiſſimum vocat, atque ejus tranſlationem ipſorum quoque Hebræorum teſtimonio veracem eſſe confirmat. Eundem*

S. Hiero. in c. 49. *Iſa.*

S. *Aug.* lib. 2. de Doctrina Chriſti c. 14.

S. *Greg.* Epiſtola dedic ad *Leandrum* c. 5. in fin.

S. *Auguſt.* ubi ſupra. Lib. 18. de Civit. Dei c. 43.

ſanctus

ſanctus Gregorius *ita prædicat, ut ejus tranſlationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta verius transfudiſſe dicat: atque idcirco digniſſimum eſſe, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus autem* Iſidorus *non uno in loco* Hieronymianam *verſionem cæteris omnibus anteponit, eamque ab Eccleſiis Chriſtianis communiter recipi ac probari affirmat, quod ſit in verbis clarior, & veracior in ſententiis.* Sophronius *quoque, vir eruditiſſimus, S.* Hieronymi *tranſlationem non Latinis modo, ſed etiam Græcis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Pſalterium & Prophetas ex* Hieronymi *verſione in Græcum eleganti ſermone tranſtulerit. Porro qui ſecuti ſunt, viri doctiſſimi,* Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anſelmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, *cæterique omnes, qui his nongentis annis in Eccleſia floruerunt, ſancti* Hieronymi *verſione ita ſunt uſi, ut cæteræ, quæ pæne innumerabiles erant, quaſi lapſæ de manibus Theologorum, penitus abſoleverint. Quare non immerito Catholica Eccleſia S.* Hieronymum *doctorum maximum, atque ad Scripturas Sacras interpretandas divinitus excitatum ita celebrat, ut jam difficile non ſit illorum omnium damnare*

Lib 2. c. moral. 24.

Lib. 6. Etymol. c. 5.

Lib. 1. de Divin. off. 12.

Judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certè paria præstare se posse confidunt. Cæterum ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiæ utilis, vel injuria temporum, vel impressorum incuria, vel temere emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem sacrosancta Synodus Tridentina illud Decreto suo sapienter adjecit, ut hæc ipsa vetus ac vulgata Editio emendatissimè, quoad fieri posset imprimeretur: neque ulli liceret eam sine facultate & approbatione Superiorum excudere. Quo Decreto simul Typographorum temeritati ac licentiæ modum imposuit, & Pastorum Ecclesiæ in tanto bono quàm diligentissime retinendo, & conservando, vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium Academiarum Theologi in Editione vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint; quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia, & codices manuscripti complures & vetustiores summi Pontificis jussu conquisiti, utque in urbem advecti erant; & demum, quoniam executio generalium Conciliorum, & ipsa Scripturarum integritas ac puritas ad curam Apostolicæ sedis potissimum pertinere cognoscitur; ideo Pius 4. Pontifex max. pro suu in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigi-

vigilantia, lectissimis aliquot sanctæ Rom. *Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque cum sacrarum literarum, tum variarum linguarum peritissimis viris, eam Provinciam demandavit, ut vulgatam edit. Lat. adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis Græcisque Bibliorum fontibus: consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissime castigarent. Quod itidem institutum Pius* 5 *prosecutus est. Verum conventum illum ob varias, gravissimásque sedis Apostolicæ occupationes jamdudum intermissum,* Sixtus 5 *Divina Providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, & opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Bibliæ præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte præventus præstare non potuisset,* Gregorius 14 *qui post Urbani* 7 *duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem executus perficere agressus est amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, & qui illi successit, Innocentio* 9 *brevissimo tempore*

pore de hac luce ſubtractis; tandem ſub initium Pontificatus Clementis 8, *qui nunc Eccleſiæ univerſæ gubernacula tenet, opus, in quod* Sixtus 5 *intenderat, Deo bene juvante perfectum eſt. Accipe igitur Chriſtiane Lector, eodem Clemente ſummo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam ſacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia caſtigatam: quam quidem ſicut omnibus numeris abſolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc uſque diem prodierunt, emendatiorem, puriorémque eſſe, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuſcriptis, Hebræis Græciſque fontibus, & ipſis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre ſtudium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione ſicut nonnulla conſultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt, tum quòd ita faciendum eſſe ad offenſionem populorum vitandum S.* Hieronymus *non ſemel admonuit: tum quod facile fieri poſſe credendum eſt, ut majores noſtri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui poſt illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortaſſe tam.*

Epiſt. ad Suniam & Fretellam Præ Evangel. ad Damaſum.

tam longo tempore identidem deſcribendo minus puri atque integri evaſerunt; tum denique quia ſacræ Congregationi Ampliſſimorum Cardinalium, aliiſque eruditiſſimis viris ad hoc opus a ſede Apoſtolica delectis propoſitum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; ſed ipſam veterem, ac vulgatam Editionem Lat. à mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, ſuæ priſtinæ integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit reſtituere; eaque reſtituta, ut quam emendatiſſime imprimeretur juxta Concilii Oecumenici Decretum pro viribus operam dare. Porro in hac Editione nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum, apponere viſum eſt: atque ea cauſa fuit, cur liber tertius & quartus Eſdræ *inſcripti, quos inter Canonicos libros ſacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipſa etiam* Manaſſe *regis Oratio, quæ neque Hebraice, neque Græce quidem extat, neque in manuſcriptis antiquioribus invenitur, neque pars eſt ullius Canonici libri extra Canonicæ Scripturæ ſeriem poſita ſint: & nullæ ad marginem concordantiæ (quæ poſthac inibi apponi non prohibentur) nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nullæ argumenta ad li-*

brorum

brorum initia conſpiciantur. Sed ſicut Apoſtolica ſedes induſtriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes ſancti Hieronymi, *& alia id genus in aliis editionibus inſeruerunt; ita quoque non prohibet quin alio genere characteris in hac ipſa Vaticana editione ejuſmodi adjumenta pro ſtudioſorum commoditate, atque utilitate in poſterum adjiciantur; ita tamen ut lectiones variæ ad marginem ipſius Textus minime annotentur.*

Clemens

Clemens P. Octavus *ad perpetuam rei memoriam.*

CUm ſacrorum Bibliorum vulgatæ editionis Textus ſummis laboribus ac vigiliis reſtitutus, & quàm accuratiſſime mendis expurgatus, Benedicente Domino, ex noſtra Typographia Vaticana in lucem prodeat; Nos, ut in poſterum idem Textus incorruptus, ut decet, conſervetur, opportune providere volentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium diſtrictius inhibemus, intra decem annos à data præſentium numerandos, tam citra, quàm ultra montes alibi quam in noſtra Vaticana Typographia à quoquam imprimatur. Elapſo autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi precipimus, ut nemo hanc ſanctarum Scripturarum editionem typis mandare præſumat, niſi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuſo, cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracto, niſi aliquod occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeſte ad ſcribendum ſit, inviolabiliter obſervetur. Si quis vero Typographus in quibuſcunque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam noſtræ & S. R. E.

ditioni

ditioni in temporalibus ſubjectis, quàm non ſubjectis, hanc eandem ſacrarum Scripturarum editionem intra Decennium prædictum quoquo modo, elapſo autem decennio, aliter quàm juxta hujuſmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare, aut ſi quis Bibliopola à ſe vel ab aliis quibuſvis, poſt datam præſentium, hujus Editionis impreſſos libros, ſeu imprimendos à præfato reſtituto & correcto Textu in aliquo diſcrepantes, ſeu ab alio quàm à Typographo Vaticano, intra decennium excuſos, pariter vendere, venales proponere vel evulgare præſumpſerit, ultra amiſſionem omnium librorum, & alias arbitrio noſtro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrat: à qua niſi à Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtitutus, abſolvi non poſſit. Mandamus itaque univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum & locorum, etiam regularium Prælatis, ut præſentes literas in ſuis quiſque Eccleſiis & juriſdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo obſervati curent ac faciant. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti

cti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, ac quarumcunque Eccleſiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum, atque Univerſitatum, etiam Studiorum generalium juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac literis Apoſtolicis in contrarium quomodocunque emanatis, & emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latiſſime derogamus, ac derogatum eſſe decernimus. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam in ipſis voluminibus impreſſis eadem, in judicio & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita vel oſtenſa.

Dat. Romæ, *apud S.* Petrum *ſub Annulo Piſcatoris, die* 9. Novembris, 1592. *Pontif. noſtri Anno* 1.

M. Veſtrius Barbianus.

Abbreviationes quibus uti cogimur brevitatis ergô in collationibus horum Bibliorum.

Cl.	significat	*Biblia Clementis vel Biblia restituta à Clemente.*
Six.		*Biblia edita primo à Sixto Quinto.*
Lov.		*Biblia Lovanienſium.*
Addit.		aliquid { *additum* / *detractum* / *commutatum* } *à Clemente.*
Detr.		
Com.		
Com.gen.		Commutationem { *generis* / *perſonæ* / *caſus* / *numeri* / *temporis* } in { *genus.* / *perſonam.* / *caſum.* / *numerum.* / *tempus.* }
Com.per.		
Com.caſ.		
Com.num.		
Com.temp.		
Tranſpoſ.		*Tranſpoſitionem vocabulorum.*
Or. va.		*Orthographiam variam.*
MS.		*Manuſcriptos codices.*
H.		conſenſum cum { *Hebraico* / *Græco* } *fonte.*
G.		
C.		*Chaldaicam paraphraſim.*
Contr.		*Apertam contrarietatem vel contradictionem.*

Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Apoc. c.22.v.18. & 19.

Elenchus

Elenchus eorum, quæ in Vulgata Verſione *Bibliorum* ex Editionibus *Sixti Quinti*, & *Clementis Octavi*, ſunt vel addita, vel detracta, vel commutata, vel lapſu memoriæ, vel alio quovis modo ſuppoſita, facta diligenti locorum, & librorum comparatione.

LIBER GENESIS.

CAP. I.

V. 2. Spiritus *Dei* ferebatur ſuper aquas. *Cl.* 10. MS. R. H. C. G. — Commutatio.
2. Spiritus *Domini* &c. *Six.* Lov.

27 Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum. *Cl.* 21. MS. R.H.C.G. — Aliquid detract. à Clement.

25 Creavit Deus hominem ad imaginem *& ſimilitudinem* ſuam: ad imaginem Dei &c. *Six.* Lov.

CAP. 2.

12 *Ibi* invenitur bdellium. *Cl.* — Detract.
9 *Ibique* invenitur. *Six.* Lov.

15 Poſuit eum in *paradiſo* voluptatis. *Cl.* — Commut.
12 In *paradiſum* voluptatis. *Six.*

18 Non eſt bonum *eſſe hominem* ſolum. *Cl.* — Tranſpoſ. vocab.
13 *Hominem eſſe*. *Six.*

CAP. 3.

Detract. 11 Cui dixit: quis enim indicavit tibi. *Cl.* 8. MS.H.C.G.
8 Cui dixit *Dominus. Six.* Lov.
Commut. 18 Et comedes *herbam* terræ. *Cl.* H.
15 *Herbas. Six.* Lov.
Detract. 19 Veſceris pane donec. *Cl.* 8. MS. R.H.C.
16 Veſceris pane *tuo* donec. *Six.* Lov.

CAP. 4.

Commut. *v.* 5. Ad Cain *verò*. *Cl.*
5 Ad Cain *autem. Six.* Lov.
Detract. 7 Statim in foribus peccatum aderit. *Cl.* 12. MS.R.H.
6 Peccatum *tuum* aderit. *Six.* Lov.
Detract. 9 *Num* cuſtos fratris. *Cl.*
8 *Numquid* cuſtos. *Six.*
15 Poſuitque Dominus Cain ſignum. *Cl.*
15 *In* Cain ſignum. *Six.* Lov.

CAP. 5.

Detract. 3 Et genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *Cl.* 8. MS.R.H.C.G.
3 Genuit *filium* ad imaginem. *Six.* Lov.
Detract. 22 Et ambulavit Henoch cum Deo, & vixit poſtquam genuit Mathuſalam. *Cl.*
22 Et vixit *Henoch* poſtquam genuit Mathuſalam. *Six.*
Orthogr. var. 31 *Cam. Cl.*
ult. *Cham. Six.*

CAP. 6.

Detract. 17 Univerſa quæ in terra ſunt. *Cl.*
14 *Et* univerſa quæ &c. *Six.* Lov.

CAP. 7.

Addit. 21 Conſumptaque eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram, volucrum, *animantium* beſtiarum, omniumque reptilium. *Cl.* Lov.
17 Volucrum, beſtiarum, omniumque reptilium. *Six.*

23 Tam reptile quam volucres cœli: & deleta ſunt de terra. *Cl.* Lov. — Addit. & var. diſ-
18 Tam reptile quam volucres cœli deleta ſunt de terra. *Six.* — punctio.

CAP. 8.

9 Extenditque manum & apprehenſam intulit. *Cl.* — Detr.
8 Extenditque manum *ſuam* & &c. *Six.* Lov.

CAP. 9.

5 De manu viri, & fratris ejus requiram. *Cl.* 16 MS. Rab. H.C.G. — Detr.
5 Et *de manu* fratris ejus requiram. *Six.* Lov.
10 In jumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt. *Cl.* — Detr.
8 *Cunctiſque* quæ egreſſa ſunt. *Six.* Lov.
12 Hoc ſignum fœderis quod do. *Cl.* — Detr.
10 Hoc *eſt* ſignum. *Six.* Lov.
16 Erítque arcus in nubibus. *Cl.* 1. MS. R. H. C. — Detr.
12 Eritque arcus *meus*. *Six.* Lov.
17 Hoc *erit* ſignum fœderis. *Cl.* MS. Q. — Commut.
13 Hoc *eſt* ſignum. *Six.* Lov.
22 Verenda ſcilicet patris ſui *eſſe* nudata. *Cl.* — Addit.
18 Patris ſui nudata. *Six.*
23 *Japheth*. *Cl.* — Orth. var.
19 *Japhet*. *Six.* Lov.

CAP. 10.

7 Filii Chus. *Cl.* — Detr.
7 Filii *autem* Chus. *Six.* Lov.
7 *Sabatacha*. *Cl.* — Orth. var.
7 *Sabathacha*. *Six.* Lov.
18 Et *poſthæc* diſſeminati ſunt. *Cl.* — Commut.
14 *Per hos* diſſeminati ſunt. *Six.* Lov.
19 Uſque Gazam. *Cl.* — Detr.
15 Uſque *ad* Gazam. *Six.* Lov.
31 Iſti filii Sem. *Cl.* — Detr.
24 Iſti *ſunt* filii Sem. *Six.* Lov.

CAP. 11.

Detr. 6 Unus eſt populus, & unum labium omnibus. *Cl.*

5 Et unum *eſt* labium omnibus. *Six.* Lov.

CAP. XII.

Commut. 1 Quam monſtrabo tibi. *Cl.* 3. MS.H.C.G.

1 Quam *monſtravero. Six.* Lov.

Commut. 12 Uxor *ipſius* eſt. *Cl.*

10 Uxor *illius. Six.* Lov.

CAP. 13.

Detr. 14 Leva oculos tuos & vide à loco. *Cl.* 10.MS. R.H.C.

14 Leva oculos tuos *in directum* & vide. *Six.* Lov.

Detr. 17 Surge & perambula. *Cl.*10.MS.H.C.G.

17 Surge *ergo. Six.* Lov.

CAP. 14.

Orth. var. 1 Rex *Gentium. Cl.*

1 Rex *gentium. Six.* Lov.

Orth. var. 3 Vallem *ſilveſtrem. Cl.*

2 Vallem *Silveſtrem. Six.* Lov.

Detr. 5 Percuſſerúntque Raphaim in *Aſtarothcarnaim. Cl.* 12. M.S. R.Rab. H.C.G.

4 In *Aſtaroth & Carnaim.* Six. Lov.

Orth. var. 6 *Chorræos. Cl.*

4 *Chorrhæos. Six.* Lov.

Detr. 7 Venerunt ad fontem Miſphat. *Cl.* 10. MS. R.H.C.G.

5 Venerunt *uſq;* ad fontem. *Six.* Lov.

Detr. 14 Et perſecutus eſt uſque Dan. *Cl.*

10 Et perſecutus eſt *eos* uſque Dan. *Six.* Lov.

Detr. 15 Uſque Hoba quæ eſt ad lævam Damaſci. *Cl.* 13. MS. R.H.C.G.

11 Uſque Hoba, *&* Phœnicem quæ eſt ad. *Six.* Lov.

Detr. CAP. 16.

1 Non genuerat liberos. *Cl.* 13. MS. R.H.C.G.

1 Non genuerat *ſibi* liberos. *Six.* Lov.

CAP.

CAP. 18.

2 Et adoravit in *terram. Cl.* Lov. Comm.
2 *Terra. Six.*
4 *Lavate pedes veſtros. Cl.* Comm.
3 *Laventur pedes veſtri. Six.* Lov.
5 *Confortate cor veſtrum. Cl.* Comm.
4 *Confortetur cor. Six.* Lov.
5 *Locutus. Cl.* Orth. var.
4 *Loquutus. Six.* Lov.
20 Clamor Sodomorum & *Gomorrhæ. Cl.* Com.
19 Et *Gomorrhæorum. Six.* Lov.
28 Delebis *propter* 45 univerſam urbem: *Cl.* Com.
Lov.
27 *Quia* quadraginta quinque. *Six.*

CAP. 19.

29 Cum *enim* ſubverteret Deus. *Cl.* Lov. Com.
25 Cum *autem* ſubverteret Deus. *Six.*

CAP. 20.

7 Nunc ergo redde viro ſuo uxorem, *quia* Tranſ. vo.
propheta eſt: & orabit pro te & vives. *Cl.*
8 Redde viro ſuo uxorem *& orabit pro te:*
quia propheta eſt & vives. *Six.* Lov.
16 Et quocunque perrexeris: *mementóque* te Addit.
deprehenſam. *Cl.*
15 *Memento* te deprehenſam. *Six.*

CAP. 21.

15 Subter unam *arborem* quæ ibi *erant. Cl.* Com.
22 Subter unam *arborum* quæ ibi *erat. Six.* Lov.

CAP. 22.

2 Vade in *terram* viſionis. *Cl.* Or. va.
2 Vade in *Terram* viſionis. *Six.* Lov.
5 Ego & puer illuc uſque properantes. *Cl.* Detr.
4 Ego *autem* & puer. *Six.* Lov.
11 Ecce *Angelus* Domini. *Cl.* Or. va.
10 Ecce *angelus* Domini. *Six* Lov.
12 Nunc cognovi quod *times Deum* & non pe- Com.
perciſti. *Cl* 3. *MS.* R. Rab. H. G.
11 Nunc cognovi quod *timeas dominum* & *Six.*

Detr. 20 His *ita* geſtis, *Cl.*
17 His *itaque* geſtis. *Six.* Lov.

CAP. 23.

Detr. 13 Circumſtante plebe. *Cl.*
9 Plebe *ejus. Six* Lov.
Com. 15 Terra, quam poſtulas *quadringentis ſiclis* argenti valet. *Cl.*
11 *Quadringentos ſiclos. Six.* Lov.

CAP. 24.

Tranſp. 24 Filia ſum Bathuelis, filii *Melchæ* quem peperit ipſi *Nachor. Cl.* 15. MS. H.C.G.
19 Filia ſum Bathuelis, filii *Nachor*, quem peperit ei *Melcha. Six.* Lov.
Com. 52 Procidens adoravit in *terram* dominum. *Cl.* 9. MS.H.C.G. Lov.
41 In *terra. Six.*
Detr. 66 Cuncta quæ geſſerat, narravit Iſaac. *Cl.* 8. MS.H.C.G.
53 Narravit *Domino ſuo* Iſaac. *Six.* Lov.

CAP. 25.

Com. gen. in gen. 9 Sita eſt in agro Ephron filii Seor Hethæi è regione Mambre, *quem* emerat à filiis Heth. *Cl.*
7 *Quam* emerat. *Six.* Lov.
Or.va. 11 Juxta *puteum. Cl.*
8 Juxta *Puteum. Six.* Lov.
Or. var. 15 *Jethur. Cl.* Lov.
10 *Itur. Six.*

CAP. 26.

Or. var. 18 *Philiſtiim. Cl.*
14 *Philiſthiim. Six.* Lov.
Detr. 34 Duxit uxores. *Cl.* 1. MS. H.C.G.
26 Duxit uxores *duas. Six.* Lov.

CAP. 27.

Com. per. in perf. 12 Et *inducam* ſuper me maledictionem pro benedictione. *Cl.* Miſſale Rom. H.C.G.
6 *Inducat* ſuper me. *Six.* Lov.
Com. & detr. 21 Accede *huc* ut tangam te fili mi. *Cl.*

23 Accede

13 Accede *ad me* ut. *Six.* Lov.

CAP. 28.

20 Si fuerit *Deus* mecum. *Cl.* MS.R.Rab.H. Com.
14 *Dominus* mecum. *Six.* Lov.

CAP. 29.

24 Vidit *Liam. Cl.* Lov. Or. va.
22 *Lian. Six.*

CAP. 30.

8 Comparavit me *Deus* cum ſorore mea. *Cl.* Com.
6 *Dominus. Six.* Lov.
16 Et ad me inquit intrabis. *Cl.* Lov. Detr.
14 Et *ait:* ad me. *Six.*
25 Dimitte me ut revertar in patriam, & ad terram meam. *Cl.* 10. MS. Detr.
21 Ut revertar in patriam *meam. Six.* Lov.
26 Tu noſti ſervitutem qua ſervivi tibi. *Cl.* 13. MS. H.C.G. Detr.
22 Tu *verò* noſti. *Six.* Lov.
30 Benedixitq; tibi *Dominus. Cl.* Com.
25 Benedixitq; tibi *Deus. Six.* Lov.
33 Furti me *arguent. Cl.* 3. MS.H.C.G. Com. num.
28 Furti me *argues. Six.* Lov.

CAP. 31.

29 Deus patris *veſtri. Cl.* 4. MS. H.C. Com.
23 Patris *tui. Six.* Lov.

CAP. 32.

1 Iacob *quoque* abiit itinere *quo* cœperat. *Cl.* 7. MS. Rab. Com.
1 Iacob *autem* abiit itinere *quod* cœperat. *Six.* Lov.
18 Munera miſit domino *meo* Eſau. *Cl.* Com.
12 Domino *ſuo. Six.* Lov.
30 Vidi *Deum* facie ad faciem. *Cl.* MS.R.H.G. Com.
23 Vidi *Dominum* facie. *Six.* Lov.

CAP.

CAP. 34.

Com.temp 23 Unum *efficiemus* populum. *Cl.*
15 Unum *efficiamus* pop. *Six.* Lov.

Detr. 30 Quibus *patratis*. *Cl.*
20 Quibus *perpetratis*. *Six.* Lov.

CAP. 36.

Or. va. 20 Filii Seir *Horrii*. *Cl.*
15 *Horræi*. *Six.* Lov.

24 Iſte eſt Ana qui invenit aquas calidas in
Com.gen. ſolitudine cum paſceret *aſinos* Sebeon patris
ſui. *Cl.*

18 Cum paſceret *aſinas*. *Six.* Lov.

CAP. 37.

Or. va. 36 Vendiderunt Joſeph in Ægypto *Puti-*
phari. *Cl.*
ult. *Phutiphari*. *Six.* Lov.

CAP. 38.

Detr. 10 Percuſſit eum Dominus, quod rem deteſta-
bilem faceret. *Cl.*
10 *Eò* quod rem. *Six.* Lov.

CAP. 39.

Com. 9 Et peccare in *Deum* meum. *Cl.* 9. MS. H.
C. G.
6 In *Dominum* meum. *Six.* Lov.

CAP. 40.

Detr. 1 His *ita* geſtis. *Cl.*
1 His *itaque* geſtis. *Six.* Lov.

CAP. 41.

Com. 11 Vidimus ſomnium *præſagum* futurorum.
Cl.
5 *Præſagium*. *Six.* Lov.

Or. va. 26 *ubertatis*. *Cl.*
14 *Hubertatis*. *Six.* Lov.

Detr. 44 Dixit quoque rex ad Joſeph. *Cl.* 10. MS.
Rab. H.C.G.
26 Rex *Ægypti*. *Six.* Lov.

Or. va. 45 Deditq; illi uxorem Aſeneth filiam *Puti-*
phare. *Cl.*

27 *Pu-*

27. *Putipharis. Six.* Lov.
50 Nati ſunt *autem* Joſeph filii duo. *Cl.* Addit. &
32 *Natique* ſunt Joſeph. *Six.* Lov. detr.

CAP. 43.

5 *Sin* autem non vis, non ibimus. *Cl.* Addit.
4 *Si* autem. *Six.* Lov.
11 Sumite de optimis terræ *fructibus. Cl.* MS. G. Com.
10 *Frugibus. Six.* Lov.
14 Et remittat vobiſcum fratrem veſtrum Detr.
quem tenet & hunc Beniamin. *Cl.* MS. H. C. G.
12 Quem tenet *in vinculis. Six.* Lov.
27 *Saluus* ne eſt pater veſter. *Cl.* Com.
22 *Sanus* ne. *Six.* Lov.

CAP. 44.

17 *Reſpondit* Joſeph. *Cl.* Detr.
15 *Reſponditq;* Joſeph. *Six.* Lov.

CAP. 46.

2 Audivit eum per viſionem *noctis* vocantem Com.
ſe. *Cl.*
1 *Nocte. Six.* Lov.

CAP. 47.

18 Non *celabimus* Dominum noſtrum. *Cl.* Com. temp
16 Non *celamus. Six.* Lov.

CAP. 50.

8 Quæ *dereliquerant* in Terra Geſſen. *Cl.* Com. temp
7 *Dereliquerunt. Six.* Lov.
10 Veneruntq; ad Aream *Atad. Cl.* Or. va.
9 *Arad. Six.* Lov.
17 Nos quoque oramus ut *ſervis Dei patris tui* Com. num.
dimittas. *Cl.* 1. MS. R. H. C. G. & Caſus.
13 Ut *ſervo Dei patri tuo. Six.* Lov.

Liber

Liber Exodi.

CAP. 1.

Com. *V.6* OMniq; cognatione *illa. Cl.*
3 *Sua. Six.* Lov.

Transp. 18 Quibus *ad ſe accerſitis* rex ait. *Cl.*
10 Quibus *accerſitis ad ſe. Six.* Lov.

CAP. 2.

Transp. 14 Quis *te conſtituit* principem. *Cl.*
11 Quis *conſtituit te. Six.* Lov.

Detr. 22 Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis. *Cl.*
19 *Et* eripuit me, *Six.* Lov.

Com. 25 Et reſpexit Dominus filios Iſrael & *cognovit* eos. *Cl.* Lov.
ult. *Liberavit* eos. *Six.*

CAP. 3.

Com. 14 Dixit *Deus* ad Moyſen. *Cl.*
14 Dixit *Dominus. Six.* Lov.

Com. caſus. 15 Hoc memoriale meum in *generationem & generationem. Cl.*
15 *Generatione & generationem. Six.* Lov.

Detr. 20 *Extendam enim* manum meam. *Cl.* 10. MS. R.H.C.G.
19. *Extendamque. Six.* Lov.

CAP. 4.

Detr. 4 Extendit & tenuit *verſaq;* eſt in virgam. *Cl.* Lov.
4 *Reverſaque. Six.*

Tranſp. 13 Obſecro *inquit Domine* miſſur: es. *Cl.*
12 Obſecro *Domine inquit. Six.* Lov.

Com.temp 14 Ecce ipſe *egreditur* in occurſum tuum. *Cl.*
13 Ipſe *egredietur. Six.* Lov.

Detr. 25 Sponſus ſanguinum ob circumciſionem. *Cl.* 8. MS.H.
24 *Tu mihi es* ob circumciſionem. *Six.* Lov.

28 Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Detr.
Domini quibus miſerat eum. *Cl.*
27 *Pro* quibus miſerat eum. *Six.* Lov.

C A P. 5.

14 Quare non *impletis* menſuram laterum ſicut Com. temp
prius. *Cl.*
12 *Impleſtis. Six.* Lov.
19 Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in Com. ca-
malo, eò quòd diceretur eis. *Cl.* 4. MS. Rab. ſus.
H. G.
17 *Malum* eò quòd. *Six.* Lov.

C A P. 6.

8 Daboque illam *vobis poſſidendam. Cl.* Tranſp.
6 *Poſſidendam vobis. Six.* Lov.
15 *Soar. Cl.* Orth. var.
13 *Sohar. Six.* Lov.
23 *Sethri. Cl.* Lov. Orth. var.
21 *Zethri. Six.*
28 In *Terra* Ægypti. *Cl.* Lov. Orth. var.
26 *terra. Six.*
29 Omnia quæ *ego* loquor tibi. *Cl.* Addit.
27 Omnia quæ loquor tibi. *Six.* Lov.

C A P. 7.

1 Conſtitui te *Deum* Pharaonis. *Cl.* Or. va.
1 *deum. Six.* Lov.

C A P. 8.

16 Et ſint *ſciniphes* in univerſa terra Ægypti. *Cl.* Or. va.
14 *ciniphes. Six.* Lov.

C A P. 9.

3 Et *boves & oves. Cl.* Tranſp.
2 *oves & boves. Six.* Lov.
4 Ut *nihil* omnino pereat. *Cl.* Addit.
3 Ut *nil* omnino pereat. *Six.* Lov.
27 Dominus juſtus ego & populus meus im- Detr.
pii. *Cl.*
23 *&* ego & pop. *Six.* Lov.

C A P. 10.

5 Quæ *operiat* ſuperficiem terræ. *Cl.* Com. temp

3 Quæ *operiet*. *Six*. Lov.

CAP. 11.

Detr. 10 Fecerunt omnia oſtenta quæ ſcripta ſunt coram Pharaone. *Cl*. 9. MS.H.C.G.

9 Omnia *ſigna* & oſtenta. *Six*. Lov.

CAP. 12.

Tranſp. 9 Sed *tantum aſſum* igni. *Cl*.

8 *aſſum tantum*. *Six*. Lov.

35 Feceruntque filii Iſrael ſicut præceperat *Moyſes*. *Cl*.

33 Sicut præceperat *Dominus Moiſi*. *Six*. Lov.

Detr. 37 Sexcenta ferè millia peditum virorum, abſque parvulis. *Cl*. 12. MS.H.C.

35 Abſque parvulis & *mulieribus*. *Six*. Lov.

Com. caſus. 42 Nox iſta eſt obſervabilis *Domino*. *Cl*.

40 *Domini*. *Six*. Lov.

CAP. 13.

Com. 9 Et quaſi *monimentum* ante oculos tuos. *Cl*.

8 *Monumentum*. *Six*. Lov.

Com. 16 Et quaſi appenſum quid ob recordationem *inter* oculos tuos. *Cl*. 6. MS. H.C.Rab.R.& G. conſentiunt.

15 *Ante* oculos tuos. *Six*. Lov.

Com. 17 Non eos duxit *Deus* per viam. *Cl*.

16 *Dominus*. *Six*. Lov.

CAP. 14.

Addit. 3 *Coarctati* ſunt in terra. *Cl*. Lov.

2 *Coartati* ſunt. *Six*.

Com. caſus. 5 Immutatumque eſt cor Pharaonis & ſervorum ejus ſuper *populo*. *Cl*.

4 *Populum*. *Six*. Lov.

CAP. 16.

Or. va. 1 De *terra* Ægypti. *Cl*.

1 De *Terra*. *Six*. Lov.

Contrar. 3 Cur *eduxiſtis* nos in deſertum iſtud. *Cl*.

2 *Induxiſtis*. *Six*. Lov.

Com. perſ. 7 *Audivit* enim murmur veſtrum. *Cl*.

5 *Andivi*. *Six*. Lov.

ult.

ult. *Ephi. Cl.* Or. va.
ult. *ephi. Six.* Lov.

CAP. 17.

14 Scribe hoc ob *monimentum* in libro. *Cl.* Com.
14 Ob *monumentum. Six.* Lov.

CAP. 18.

12 Obtulit ergo Iethro cognatus Moiſi holo- Com.
cauſta & hoſtias *Deo. Cl.* MS. R.H.G.
9 *Domino. Six.* Lov.
19 Et erit *Deus* tecum. *Cl.* Com.
15 Et erit *Dominus* tecum. *Six.* Lov.
21 Viros *potentes* & timentes Deum. *Cl.* 16. MS. Com.
R.Rab.H.C.G.
16 Viros *ſapientes* & timentes Deum. *Six.* Lov.

CAP. 20.

1 *terra. Cl.* Orth. var.
1 *Terra. Six.* Lov.

CAP. 21.

ult. *Sin* autem ſciebat quod bos cornupeta eſ- Com.
ſet. *Cl.*
ult. *Si* autem. *Six.* Lov.

CAP. 22.

6 Si egreſſus ignis invenerit *ſpinas*, & com- Com.
prehenderit acervos frugum. *Cl.* 5. MS. R.
Rab.H.C.G.
6 Invenerit *ſpicas. Six.* Lov.

CAP. 23.

18 Non immolabis ſuper fermento ſanguinem Contrar.
victimæ *meæ. Cl.* 9. MS. Rab.H.C.G.
19 Victimæ *tuæ. Six.* Lov.

CAP. 24.

5 Immolaveruntque victimas pacificas Domi- Detr.
no vitulos. *Cl.* 4. MS. R.Rab.H.C.G.
5 Vitulos *duodecim. Six.*

CAP. 25.

33 *Sphærulaque* ſimul & *lilium. Cl.* Com. num.
22 *Sphærulæque* ſimul & *lilia. Six.* Lov.
38 Fiant *de* auro puriſſimo. *Cl.* Addit.

26 Fiant auro puriſſimo. *Six.* Lov.

CAP. 26.

Detr. 5 Altera alteri poſſit *aptari. Cl.*

5 *adaptari. Six.* Lov.

Com. 34 pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonii in *Sancto* ſanctorum. *Cl.*

26 In *Sancta* ſanctorum. *Six.* Lov.

CAP. 27.

Com. ult. Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum *à* filiis Iſrael. *Cl.*

ult. *Coram* filiis Iſrael. *Six.* Lov.

CAP. 28.

Or. va. 20 *Chryſolitus. Cl.*

16 *Chryſolithus. Six.* Lov.

CAP. 30.

Com. 16 Ut ſit *monimentum. Cl.*

14 *Monumentum. Six.* Lov.

CAP. 31.

Com. 9 *Labrum* cum baſi ſua. *Cl.*

3 *Labium. Six.* Lov.

Or. var. 11 *Aromatum. Cl.* Lov.

3 *Arcmathum. Six.*

CAP. 32.

Com. 16 Factas opere *Dei. Cl.* MS. R.H.G.

13 *Domini. Six.* Lov.

Diverſitas in numeris. 28 Cecideruntque in die illa quaſi *viginti tria* millia hominum. *Cl.* H. ferme tria millia hominum.

22 Quaſi *triginta tria* millia hominum. *Six.* Lov.

CAP. 35.

Or. va. 6 *Hyacintum. Cl.*

5 *Hyacinthum. Six.* Lov.

Com. num. 16 Labrum & *baſim* ejus. *C.* 7. MS. R. H C G.

6 Et *baſes* ejus. *Six.* Lov.

Or. va. 23 Pelles arietum rubricatas & *ianthinas. Cl.* MS.

9 *Hyacinthinas. Six.* Lov.

CAP.

CAP. 37.

11 Et fecit illi *labium* aurium per gyrum. *Cl.* Com.
Lov.

6 *Labrum* aureum. *Six.*

CAP. 38.

14 Cum baſibus ſuis unum *tenebat* latus. *Cl.* Com.
MS. R. num.

8 *Tenebant. Six.* Lov.

CAP. 39.

33 Aliud operimentum de *ianthinis* pellibus. Com.
Cl. MS.

14 De *hyacinthinis* pellibus. *Six.*

CAP. 40.

5 Tentorium in introitu tabernaculi pones. Detr.
Cl. 8. MS. H.C.G.

3 In introitu tabernaculi *teſtimonii* pones.
Six. Lov.

Liber Levitici.

CAP. 2.

V. 11 NEc quidquam frumenti *ac* mellis ado- Com.
lebitur. *Cl.* Lov.

6 *Aut* mellis. *Six.*

11 Adolebitur in ſacrificio *Domino. Cl.* Com.caſ.

6 *Domini. Six.* Lov.

13 In omni oblatione *tua* offeres ſal. *Cl.* Addit.

8 In omni oblatione offeres ſal. *Six.* Lov.

14 Torrebis igni, & confringes in morem far- Detr.
ris. *Cl.* Lov.

9 Torrebis *eas* igni. *Six.*

CAP. 4.

2 Anima *quæ* peccaverit per ignorantiam. *Cl.* Com.

1 Anima *cum* peccaverit. *Six.* Lov.

6 Cumque intinxerit digitum in *ſanguine. Cl.* Com.caſ.

3 In *ſanguinem. Six.* Lov.

ult. Cremabit ſuper altare *in* incenſum Domini. Addit.
Cl.

ult. Cremabit ſuper altare incenſum Domini. *Six.* Lov.

CAP. 5.

Detr. 8 Ita ut collo *hæreat. Cl.*
3 *Adhæreat. Six.* Lov.
Or. va. 11 *Thuris. Cl.* Lov.
6 *Turis. Six.*

CAP. 6.

Com. 9 Ignis *ex* eodem altari erit *Cl.*
3 *In* eodem altari erit *Six.* Lov.
Com. 16 Comedet in loco *Sancto Atrii* tabernaculi. *Cl.* ſancto in atrio. MS.R.H.C.G. his conformiter Radulphus legiſſe videtur.
7 In loco *Sanctuarii. Six.* Lov.

CAP. 7.

Or. va. 12 Collyridas olei *admiſtione* conſperſas. *Cl.* Lov.
8 *Admixione. Six.*

CAP. 8.

Detr. 4 *Fecit* Moyſis ut Dominus imperaverat. *Cl.*
2 *Fecitque. Six.* Lov.
Com. caſ. 28 Eo quod conſecrationis eſſet oblatio in odorem ſuavitatis, ſacrificii *Domino. Cl.* 1. MS. R.H.G.
14 *Domini. Six.* Lov.

CAP. 9.

Com. num. 3 Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum *anniculos. Cl.* 5. M S. H. C. at R. & G. textui conſentiunt.
2 *Anniculum. Six.* Lov.
Com. num. 22 Et extendens *manus* ad populum. *Cl.*
10 *Manum. Six.* Lov.

CAP. 10.

Or. va. 1 *Thuribulis. Cl.* Lov.
1 *Turibulis. Six.*
Addit. 8 *Dixit quoque* dominus ad Aaron. *Cl.*
9 *Dixitque. Six.* Lov.
Com. temp. 9 Quando *intratis* in tabernaculum teſtimonii. *Cl.* Lov.

9 *Intra-*

9 *Intrabitis. Six.*
18 Comedere *debueritis* eam in ſanctuario. *Cl.* Com.
14 *Debueratis. Six.* Lov. temp.
CAP. 13. & modi.
12 Et operuerit omnem *cutem* a cap. uſque ad pedes. *Cl.* Com.
7 Omnem *carnem. Six.* Lov.
18 *ulcus. Cl.* Orth. var.
10 *Hulcus. Six.* Lov.
36 In flavum colorem ſit *immutatus. Cl.* Com.
17 *Commutatus. Six.* Lov.
CAP. 14.
43 Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, & pulvis *eraſus. Cl.* Com.
12 *Elatus. Six.* Lov.
49 Et in *purificationem* ejus ſumet 2 paſſeres. *Cl.* MS.HG. Com. num.
14 Et in *purificatione. Six.* Radulphus Lov.
CAP. 15.
9 Sagma ſuper *quo* ſederit, immundum erit. *Cl.* Com.
8 Super *quod. Six.* Lov.
27 Quicunque tetigerit *ea* lavabit veſtimenta ſua. *Cl.* Com. num.
22 Tetigerit *eam. Six.* Rad. G. Lov.
31 Docebitis ergo filios Iſrael, ut caveant *immunditiam. Cl.* Com. num.
24 *Immunditias. Six.* Lov.
CAP. 18.
20 *Commiſtione. Cl.* Lov. Or. va.
18 *Commixtione. Six.*
CAP. 19.
20 Quæ ſit ancilla etiam *nubilis. Cl.* H. Com.
16 *Nobilis. Six.* Lov.
CAP. 20.
9 Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: *patri matrique maledixit*, ſanguis ejus ſit ſuper eum. *Cl.* Lov. Addit.
7 Morte moriatur: ſanguis ejus ſit ſuper eum. *Six.*

CAP.

CAP. 21.

Detr. 5 Non radent caput. *Cl.* Lov.
2 Non radent *ſacerdotes. Six.*

CAP. 22.

Com. 24 Omne animal quod contritis, vel *tuſis*, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt. *Cl.*
17 Contritis vel *tonſis. Six.* Lov.

CAP. 23.

Com. 14 Uſque ad diem qua *offerètis* ex ea Deo veſtro. *Cl.*
9 *Offeratis. Six.* Lov.

CAP. 24.

Detr. 11 Cumque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei. *Cl.*
6 Nomen *Domini. Six.* Lov.
Detr. 16 Lapidibus opprimet eum omnis multitudo. *Cl.*2.MS.H.C.G.
7 Omnis multitudo *populi. Six.* Rad. Lov.

CAP. 25.

Com. num. 6 Et advenæ qui *peregrinantur* apud te. *Cl.* MS. R.H.C.
3 *Peregrinatur. Six.* Rad.G.Lov.

CAP. 26.

Addit. 2 Cuſtodite Sabbata mea, & pavete *ad* Sanctuarium meum. *Cl.*
2 Pavete Sanctuarium. *Six.* Lov.
Com. 44 *Et tamen* etiam cum eſſent in terra hoſtili. *Cl.*
27 *Attamen. Six.* Lov.
Detr. ult. Ego Dominus. *Cl.*3.MS.C.G.
ult. Ego Dominus *Deus. Six.* Lov.
Detr. ib. Inter ſe & filios Iſrael. *Cl.*
ib. Inter ſe & *inter* filios. *Six.* Lov.

CAP. 27.

Contrar. 27 Quod ſi immundum eſt animal, redimet qui obtulit juxta æſtimationem *tuam. Cl.* 2. MS.H.
17 Juxta æſtimationem *ſuam. Six.* Lov.
Com. ib. Vendetur alteri *quantecunque* à te fuerit æſtimatum. *Cl.* ib. *Quan-*

ib. *Quantúmcunque. Six.* Lov.
28 Non *vendetur* nec redimi poterit. *Cl.* Com.
18 Non *veniet. Six.* Lov.

Liber Numerorum.

CAP. 1.

*V.*51 CUm proficiſcendum fuerit, deponent Com.
Levitæ tabernaculum: cum *caſtrametandum* erigent. *Cl.* 1. MS.
22 Cum *caſtrametanda. Six.* Lov.

CAP. 2.

2 Caſtrametabuntur *filii* Iſrael per gyrum. *Cl.* Com.
3. MS.R.Rab. num.
1 *Filiorum* Iſrael. *Six.* Lov.
8 *Omnis* de ſtripe ejus exercitus pugnatorum. Detract.
Cl.
4 *Omniſque. Six.* Lov.
9 Univerſi qui in caſtris Judæ *enumerati* ſunt. *Cl.* Com.
8 *Annumerati. Six.* Lov.

CAP. 3.

24 *Eliaſaph. Cl.* Orth. var.
15 *Heliaſaph. Six.* Lov.
49 Et quos *redemerant. Cl.* Com.
31 *Redemerat. Six.* Lov. num.

CAP. 4.

46 Et quos *recenſeri* fecit ad nomen Moyſes & Addit.
Aaron. *Cl.* R.H.C.G.
24 Et quos fecit ad nomen. *Six.* Lov.

CAP. 5.

3 Ne contaminent ea cum *habitaverim* vobiſ- Com.num.
cum. *Cl.* H. & perſ.
1 *Habitaverint. Six.* Lov.

CAP. 7.

84 Hæc in *dedicatione* altaris oblata ſunt. *Cl.* Com.caſ.
MS.R.Rab.
18 In *dedicationem. Six.* Lov.

CAP.

CAP. 8.

Com.temp & modi. 15 Et poſtea *ingredientur. Cl.*
7 *Ingrediantur. Six.* Lov.

CAP. 10.

Com.caſ. 13 Juxta imperium Domini *in manu* Moyſi. *Cl.*
11 *Per manum. Six.* Lov.

CAP. 11.

Detract. 21 Et ait Moyſes: ſexcenta millia. *Cl.* 4. MS. R.H.C.G.
18 Et ait Moyſes *ad dominum. Six.* Lov.

Com. 31 Ventus autem egrediens à dom. *arreptans* trans mare coturnices dedit. *Cl.*
29 *Arreptas. Six.* Lov.

Detract. 32 Congregavit coturnicum, qui parum 10 coros. *Cl.*
30 Coturnicum *multitudinem. Six.*

CAP. 12.

Detract. 2 Quod cum audiſſet Dominus (erat enim. *Cl.*
2 Cum audiſſet Dominus *iratus eſt. Six.* Lov.

Detract. 4 Statim locutus eſt ad eum. *Cl.*
2 Locutus eſt *Dominus. Six.* Lov.

CAP. 14.

Detract. 10 Apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis cunctis filiis Iſrael. *Cl.* 6. MS. H.C.G.
6 Cunctis *videntibus* filiis Iſrael. *Six.* Lov.

Detract. 19 Dimitte obſecro peccatum pop. hujus. *Cl.* 2. MS. R.H.C.G.
12 Populi *tui* hujus. *Six.* Lov.

CAP. 15.

Detract. 3 Et feceritis oblationem Domino in holocauſtum aut victimam, vota ſolventes. *Cl.*
1 Victimam *pacificam. Six.* Lov.

Tranſp. & Detract. 36 Cumque eduxiſſet eum, lapidibus obruerunt. *Cl.*
16 Obruerunt *eum* lapidibus. *Six.* Lov.

CAP. 16.

Com.ge. 11 *Quid* eſt enim Aaron? *Cl.*
5 Quis. *Six.* Lov.

15 Tu

15 Tu ſcis quod *ne* aſellum quidem. *Cl.* Detract.
8 Quod *nec* aſellum. *Six.* Lov.
34 Omnis Iſrael qui ſtabat per gyrum, fugit *ad* Com.caſ.
clamorem pereuntium. *Cl.*
19 *A clamore. Six* Lov.
37 Præcipe Eleazaro filio Aaron *ſacerdoti. Cl* Com.caſ.
Lov. H.
20 *Sacerdotis. Six.*

CAP. 17.

3 Una virga cunctas ſeorſum familias contine- Detract.
bit. *Cl.*
1 Cunctas *eorum. Six.* Lov.

CAP. 18.

3 Ut ad vaſa Sanctuarii & *ad* altare non acce- Addit.
dant. *Cl.*
2 Ad vaſa Sanctuarii & altare. *Six.* Lov.
13 Univerſa frugum initia *quas* gignit humus. *Cl.* Com.ge.
11 *Quæ* gignit. *Six.* Lov.
29 Optima & electa erunt. *Cl.* Detract.
20 Optima & electa erunt *cuncta. Six.* Lov.

CAP. 20.

20 At ille reſpondit non *tranſibis. Cl.* 2. MS. Com.num.
H.C.G.
16 *Tranſibitis. Six.* Lov.

CAP. 21.

5 Locutuſque contra *Deum* & Moyſen ait. *Cl.* Com.
1. MS. R.H.G.
4 *Dominum. Six.* Rab.C.Lov.
15 Ut requieſcerent in *Ar. Cl.* Detract.
14 *Arnon. Six.* Lov.
19 *Matthana. Cl.* Orth. var.
16 *Mathana. Six.* Lov.
20 *De* Bamoth vallis eſt in regione Moab. *Cl.* Addit.
18 Bamoth vallis. *Six.* Lov.
27 *Proverbio. Cl.* Orth. var.
24 *proverbio. Six.* Lov.
32 *Jazer. Cl.* Orth. var.
28 *Jaſer. Six.* Lov.

CAP.

CAP. 22.

Detract. 4 Ipſe erat eo tempore rex in Moab. *Cl.*
2 Ipſe *autem* erat. *Six.* Lov.
Detract. 8 Manentibus illis apud Balaam. *Cl.*
7 Manentibus *autem. Six.* Lov.
Addit. 18 Si dederit mihi Balac plenam domum *ſuam* argenti & auri. *Cl.* Lov.
14 Plenam domum argenti. *Six.*
Com. 20 Si vocare te *venerunt* homines iſti ſurge. *Cl.*
temp. 16 *Venerint. Six.* Lov.
Com per. 37 Miſi nuncios ut *vocarem* te. *Cl.* 7. MS.H.
& num. 31 *Vocarent. Six.* C. & G. Lov.

CAP. 23.

Com. 5 *Loquêris. Cl.* Lov.
temp. 5 *loqueris. Six.*
Com.num. 14 Impoſitis ſupra *vitulo* atque *ariete. Cl.*
12 *Vitulis* atque *arietibus. Six.* Lov.

CAP. 24.

Addit. 13 Plenam domum *ſuam* argenti. *Cl.* Lov.
7 Plenam domum argenti. *Six.*

CAP. 25.

Orth. var. 1 *Settim. Cl.*
1 *Setim. Six.* Lov.

CAP. 26.

Detract. 12 Jamin, ab hoc familia Jaminitarum. *Cl.*
4 *Et* Jamin ab. *Six.* Lov.
Orth. var. 34 *Therſa. Cl.* Lov.
12 *Terſa. Six.*
Com. 62 *Quia* non ſunt recenſiti inter filios Iſrael. *Cl.* 2. MS.H.C.G.
24 *Qui* non *Six.* Lov.

CAP. 30.

Additio ſententiæ. 11 Uxor in domo viri *cum ſe voto conſtrinxerit & juramento, ſi audierit vir & tacuerit nec contradixerit ſponſioni reddet quodcunque promiſerat; ſin autem exemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea: quia maritus contradixit & dominus ei propitius erit* ſi voverit

rit & juramento ſe conſtrinxerit. *Cl.* H. Lov.

5 Uxor in domo viri ſi voverit, & juramento ſe conſtrinxerit. *Six.*

CAP. 31.

6 Vaſa *quoque* ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei. *Cl.* Addit.

3 *Vaſaque* ſancta. *Six.* Lov.

16 Prævaricari vos fecerunt in *domino*. *Cl.* Com.caſ.

9 *Dominum*. *Six* Lov.

CAP. 32.

3 *Saban*. *Cl.* Lov. Orth. var.

2 *Saba*.

35 *Etroth* & Sophan. *Cl.* Com.

20 *Roth*. *Six*. Lov.

CAP. 33.

16 Venerunt ad *ſepulchra* concupiſcentiæ. *Cl.* Orth. var.

13 *Sepulchra*. *Six*. Lov.

24 *Arada*. *Cl.* Orth. var.

21 *Harada*. *Six*. Lov.

40 Qui habitabat ad *meridiem*. *Cl.* Orth. var.

36 *Meridiem*. *Six*. Lov.

44 *Ieabarim*. *Cl.* Or. va.

40 *Ieabarim*. *Six*. Lov.

CAP. 34.

4 Per *aſcenſum Scorpionis*. *Cl.* Orth. var.

1 *Aſcenſum ſcorpionis*. *Six*. Lov.

4 Perveniant *à meridie* uſque ad Cadesbarne. *Cl.* Com.caſ.

1 *Ad meridiem*. *Six*. Lov.

11 *Rebla*. *Cl.* Detract.

4 *Reblatha*. *Six*. Lov.

23 *Hanniel Cl.* Orth. var.

11 *Haniel*. *Six*. Lov.

ult. Quibus *præcepit* dominus. *Cl.* Com.temp

ult *Præceperat*. *Six*. Lov.

CAP. 35.

19 Propinquus occiſi homicidam interficiet, ſtatim ut apprehenderit eum *interficiet*. Si per. Addit.

10 Ut apprehenderit eum. Si per. &c. *Six.*
Orth. var. 20 *Quippiam. Cl.* Lov.
11 *Quidpiam. Six.*

Liber Deuteronomii.

CAP. 1.

*V.*4 Qui *habitabat* in Heſebon. *Cl.*
Com. 2 *Habitavit. Six.* Lov.
temp. Detract. 19 Tranſivimus per eremum terribilem & maximam quam vidiſtis. *Cl.* 8. MS.H.C.G.
12 Et max. *ſolitudinem. Six.* Lov.
Com. num. 31 Et in ſolitudine (*ipſe vidiſti. Cl.*H.
19 (*Ipſi vidiſtis. Six.* Lov.

CAP. 2.

Addit. 21 Populus magnus, & *multus* & proceræ longitud. *Cl.*
13 Populus magnus, & proceræ longitud. *Six.* Lov.

CAP. 4.

Commut. 28 Nec *odorantur. Cl.* Lov.
20 *Odorant. Six.*
Detract. 30 Noviſſ. tempore reverteris ad domum. *Cl.*
22 Noviſſ. *autem* tempore. *Six.* Lov.
Commut. 33 Sicut tu audiſti, & *vixiſti. Cl.*6.MS.R.Rab. H.C.G.
24 *Vidiſti. Six.* Lov.
Com. modi. 39 Scito ergò hodie, quod Dominus ipſe *ſit* Deus. *Cl.*
27 Ipſe *eſt* Deus. *Six.* Lov.

CAP. 5.

Detract. 24 Vocem ejus audivimus. *Cl.*
21 *Vocem enim. Six.* Lov.

CAP. 6.

Com. 4 Dominus Deus noſter, *Dominus* unus eſt. *Cl.*3 MS.R.H.C.G.
3 *Deus. Six.*Lov.

CAP.

CAP. 8.

1 *Cave* diligenter ut facias. *Cl.*Lov. Commutatio.
1 *Attende. Six.* Or. va.

CAP. 10.

